

Panor. super secunda Primi.

Abricem. subiectam. tandem hoc deuenit ad aures Papæ. propter quæ mādabat Archiepiscopo Butricen. vt dictos, Archiepiscopos a consecratione, & confirmatione Episcoporum suspenderet, & Episcopum ab executione Pontificalis officii. propter quæ dicti Archiepiscopi, & Episcopi intimauerunt apostolicæ sedi qualiter circa hoc ex ignorantia peccauerunt, & quilibet ipsorum misericordiam supplicauit, excusantes se forte propter canonem, qui dicebat quod si Episcopus, intra sex menses dimitteret Ecclesiam viduatam &c. Metropolitanus posset cedere iudicio, ex quo non accepit munus consecrationis, per quæ apparebit ipsum non ligatum, & vltra hoc apparebit inferioris licentia ipsum posse cedere. Papa hanc decreta. scribens Andegauen. capitulo ostendit primo, qualiter ad ipsum solum spectat potestas Episcopos transferendi, & absoluedi, & via spiritualia destruendi, aut dissoluendi, aut dandi licentiam cedendi. Secundo ostendit, hoc declarando pertinere nõ solum ad consecratos, sed etiam ad confirmatos tantum. Tertio ostendit canonem quandam nõ obuiare prædictis. Quarto applicando ad hoc factum, concludit delictum Archiepiscoporum tam confirmantis, & transferentis, quam etiam a vinculo prioris absoluedis, & ipsius translati fuisse dignam pœna, quam mandauerat, imponi. Quinto Papa inclinatus ad misericordiã circa Archiepiscopos, propter confessionem erroris, & supplicationem spontaneam dedit veniam, & remisit pœnam. Sexto quod ad episcopum, qui trasue rat, a pœna absoluit suspensionis, & concessit, eidem facultatem in ecclesia, ad quam transfuerat administrandi. ¶ In prima parte procedit sic, & vt dixi ostendens, quod ad eum spectat potestas Episcopos transferendi, & a priori Ecclesia absoluedi, & proponit, quod ista spiritualia difficilius dissoluuntur, quam carnalia, sed Deus solus, dissoluit vinculum matrimonii corporalis, & carnalis. ergo Papa, solus est ille, qui dissoluere potest vinculum spirituale. primum ponit pro noto, quia est differentia, quod spiritualia facilius construuntur, & difficilius dissoluuntur. & carnalia & corporalia facilius destruuntur, & difficilius construuntur. minorem probat ab autoritate illa, quos Deus, coniunxit, &c. consequentiam autem probat, quod solus Papa hoc possit, quia loco Dei, Papa est in terra, & Vicarius Iesu Christi, & sic sequitur conclusio, per quæ secundo infert, quod hæc potestas ad solum Papam, spectat non solum dispositione constitutionis canonice, sed etiam ex institutione diuina. Circa secundum procedit sic, quia dictum est de reseruatione potestatis transferendi, & a priori vinculo absoluedi, nec ideo concludit pertinere, ad electum confirmatum ex causæ finalis identitate, etiam inspecta causâ impedimenti absoluedi, vel transferendi penes, vinculi matrimonialis substantiam, sed hoc vinculum datur in electo cõfirmato, ergo idem est in confirmato, quod in consecrato, quod substantia vinculi sit illa hanc reseruationem inducens. Papa illud præsupponit pro noto. quod autem detur vinculum in confirmato tantum, probat Papa, quia coniugium spirituale ad instar carnalis perficitur, in solo consensu, & consecratio nihil addit, nec penes ipsã colligitur vinculum. quod consecratio nihil addat, & non sit de substantia, patet, quia illud est de substantia alicuius, quo posito id ponitur, & quo remoto id remouetur, sed est possibile quem esse confirmatum, & tamen non esse matrimonialiter alligatum, ergo &c. vt in Episcopo qui renunciauit oneri, sed non honori. Ex his concludit a similitudine rationis, & causæ specificæ participio, licet hoc non sit cautum, quod est statutum de potestate transferendi, & dandi licentiam, cedendi in Episcopo, extendi ad electum confirmatum, quia eadem causâ est in specie, vel saltem in genere ratione similitudinis, ergo &c. Circa tertium tollit canonem obuiantem, prædictis circa duo dicentem, quod si electus distulerit, vltra tres menses consecrari, & sic Ecclesiam retinuerit viduatam, non poterit ibi vel alibi consecrationem accipere, & Metropolitanus cederet, iudicio. Pondera circa duo tex. 1. in eo quod dicit Episcopum confirmatum dimittere Ecclesiam viduatam consecrationem, non recipiendo: ex quo euidenter apparet, quod si est, viduata, ibi non est matrimonium. secundo in eo quod permittit Episcopum iudicio cedere Archiepiscopi, per quod apparet, quod Archiepiscopus potest dare licentiam cedendi, quia prout canon ille præsupponit Ecclesiam viduatam quando sponsus non est, consecratus. intelligendus est, q

Ecclesia est viduata respectu quo ad quid, non in substantia, hoc est, quia non habet sponsum vtilem, & effectuale, quo ad munus consecrandi. sed per hoc vinculum, & quod sponsus sit, non negatur in substantia, sicut ex vsu loquentium quod ad ea quæ necessaria sunt ecclesiæ. prout autem dicit ipsum debere Metropolitanus cedere iudicio, statutum est in pœnam, & specialiter propter pœnam permissam. nõ ergo hoc trahendum est ad casum oppositæ rationis, quia non ibi ex gratia petitur cessio. Item nec ad casum eiusdem rationis, cum ex quo sumus, in exorbitantibus, vt in his, quæ communiter inferioribus, non conceduntur, sufficiat hoc non apparere expressum, & si hoc voluisset, expressisset, & quia in exorbitantibus esse prohibitum censetur, quod non apparet expresse permissum. Circa partem ultimam alia sunt clara pariter Archiepiscopis propter tria, propter spontaneam confessionem, & quia errore, ad fallendum sunt inducti, & quia veniam postulauerunt, & quia ex simplicitate peccauerunt. Circa personam electi, sic se habet, quia ex duplici causa mitigat pœnam ex recognitione erroris, & quia, vt inferior minus peccauit, quam superiores, & quia misericordiam petiit, & non iudicium; non ex toto tamen admittit facti, per Archiepiscopos propter impossibilitatem iuris, quia ipsum non fecerunt consecrando Pontificem prioris ecclesiæ, nec secundæ. Ad primam non, ex defectu intentionis. & ad secundam non, ex defectu potestatis, cum ad priorem ecclesiam adhuc duraret electus, & sponsus, absoluit eum a pœna suspensionis, & a vinculo prioris ecclesiæ, & ipsum administrare permisit priori consensu hætenus perdurante. Hic est casus, licet domino meo D. Ant. Caierano tunc Archidiacono Bono. nunc autem Patriarchæ Aquilein. dum legerem hanc decre. non placuerit me in hac decretali ponere casum. legam per partes. pono ergo primam. Not. quod est differentia inter corporalia, & spiritualia, quia corporalia sunt facillima in dissoluendo, & difficillima in construendo. In corporalia sunt facilia in construendo, & difficilia in destruendo. ¶ Not. secundo, quod solus Episcopus non potest deponere ab ordine, licet solus possit dare ordinem; & sic in talibus nõ procedit regula, quod eius est soluere, cuius est ligare, & q̄ eius est tollere, cuius est inducere: & q̄ eadem causa tolluntur, quia & inducuntur. ¶ Tertio not. quod Episcopi possunt a Metropolitanis consecrari; & tamen non possunt ab ipsis deponi. ¶ Quarto no. quod argum. a minori procedit in iure, quia si solus Papa potest tollere, quod est leuius, fortius potest tollere quod est grauius. ¶ Et not. quod solus Papa potest Archiepiscopum, vel Episcopum deponere, & non inferior a Papa, nec etiam potest inferior (quod est, plus) ipsum condemnare. Quinto no. quod reseruatis leuioribus, ad potestatem Papæ, reseruata videntur grauiora. ¶ Sexto no. quod solus Papa potest dissoluere vinculum carnale, & vinculum spirituale. ¶ Not. 7. quod factum a Papa, vt vicario Dei, interpretatur factum a solo Deo; & quod gesta per vicarium videtur etiam gesta per dominum. Nota apostolicæ sedi reseruata, cessio, translatio, & depositio Episcoporum; & ex quolibet istorum dissoluitur vinculum coniugale. Ponitur hic primo regula. Secundo, probatio partis potestatis regula. Tertio conclusio. Quarto declaratio. Videamus in hac parte omnes partes. Prima regula est ista, quod differentia est inter corporalia, & spiritualia, quia spiritualia facilius, construuntur, quam destruuntur. & corporalia facilius destruuntur, quam construuntur, hæc est regula, quæ temperat duo simul constructionem carnalium, & destructionem ex parte vna; & constructionem spiritualium, & destructionem ex altera parte; & in vtroque ostendit esse differentiam. Primo declaramus regulã per exempla. exemplum patet in corporalibus, quia facilius corporalia reuocantur, quam construuntur, vt patet in pecu-

ADDITIONES.

- a ¶ Non potest deponere ab ordine. Vide de hoc per Bertha. de Fir. in tract. de episc. 4 lib. par. 8. in fin. Specu. in tit. de accu. §. 2. vers. item terminum. & in §. 3. ceterum. Dy. in c. non potest, & ibi in apost. ad ipsum. & Do. ibi. de regul. iur. & Io. And. in c. 2. in sua nouel. de pe. lib. 6. Zac.
- b ¶ Grauis. Vide gloss. & Docto. in cap. cum in cunctis, supra de elec. Ia. in l. si quando §. generaliter. in fin. C. de modesta & in l. de quibus. col. 3. ff. de leg. vbi dicit. q̄ arg. a minori est, fortius, quam argumentum a simili. Vide etiam Ia. in l. quæ delegato. col. j. de leg. j.